

locis Abisai legitur scriptum. Addunt Pythagorici, quòd si duo in pugnam collati fuissent, palmam illi favere, qui majorem numerorum summam possederit. Hinc Patroclum dicebant novem confici literis, quarum summa 861. colligat: ideoq̄ ab Hectore interfectum fuisse, cujus nomen quinq̄ literis Græcis 1225. summam Patrocli majorem contineret. Similiter Hectorem ab Achille devictum, quod Achillei numeri, nempe 1276. Hectoreis sint majores.

DE NOTATIONE NUMERORUM per literas Latinas.

Latini minusculis & majusculis literis numeros exprimunt: illa ratio rarior: hæc usitatio. Primò igitur dividunt totum alphabetum, similiter ut Græci, in tres classes: quarum prima continet unitates: secunda decadas: tertia centurias. Cumq̄ in alphabeto Latino ad complementum viginti septem characterum quatuor desint, illarum vicem obeunt I & V consonantes simplices, ut in Iacobus & Vincentius, nominibus. Deinde HI & HV aspirate; ut in Hieronymus,

mus,